



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Electionibus. Consilium XXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

ipso iure privetur iure electionis; quo sublato confirmatio nulla ex sequente licentia sequi potest, *Dominic. in d. c. Si religiosus n. 8. De elect. lib. 6.* Proinde sequitur, quod sic ex altero monasterio electus non possit in realem possessionem Abbatis, ad quam electus est, induci sine licentia Prælati sui monasterij. * Quam in proposito petere dumtaxat non sufficit, etiam si in multis iuris articulis sufficiat petita, licet non obtenta licentia superioris; ut est in transitu religiosi à suo monasterio ad aliud, quod arctiorem habet religionem, *l. Licet De regul. & transmiss. ad relig.* sed oportet illam quæque esse obtentam: ita quod denegatio superioris inutilem faciat electionem, *d. c. Si religiosus, c. Quam sit De elect. lib. 6.* † Quam denegationem superior Religioso facere potest, non ex emulatione, quæ permitta non est, *l. Opus ff. de operib. publ.* sed ex iusta causa, si scilicet Religiosum patet necessarium & utilem esse suo monasterio, & alios esse in monasterio, ad quod electus est, qui ad huiusmodi prælationem sunt idonei, *Dominic. in d. c. Si religiosus: quo casu ad dandum licentiam compelli non posset per quemquam, † nisi per summum Pontificem, qui hac in re ex plenitudine potestatis arbitrio suo uti posset.* Si verò non est iusta causa denegationis, etiam per suum immediatum superiorem cogi posset, veluti per generalem Ordinis, vel per Episcopum loci, *Dominic. in d. c. Si religiosus n. 9.* nisi monasterium sit exemptum, & immediatè Sedi Apostolicæ subiectum: nam eo casu solus Pontifex erit in cogendo, aut dando licentiam potestas, quia Episcopus in exemptos nullam speciem jurisdictionis exercere potest, *Paul. Castrensis. consil. 187. Super primo in fin. vol. 1.* * Olanc porro petitionem, live apud Pontificem omni casu, vel apud Episcopum cessante exemptione, facere poterit, vel ipse Religiosus sic electus per se, id quæ contra ullam notam ambitionis, *d. c. Quam sit, Boer. in addit. ad Mandagorini De elect. parte 1. cap. 37.* vel (quod melius est) per ipsos electores: id quæ per supplicem libellum Romam missum, si à Pontifice id petetur, vel in præsentia testium apud superiorem Prælatum, vel Episcopum.

Sed quoniam proponitur, Prælatum Monasterij, ex quo hic Religiosus electus est, electum tantum esse, sed nondum confirmatum; rectè quaritur, an is licentiam dare possit? Difficultatem facit, quod electus ante confirmationem non possit se ingerere in administrationem, nec in temporalibus, nec in spiritualibus, *c. Avaritia De elect. lib. 6.* † Sed restringitur illa juris prohibitio, ut non obtineat, si monasterium exemptum valde remotè situm sit à Curia Romana, hoc est, extra Italiam: eo enim casu dispensativè permittitur in concordia electio, propter necessitatem, & utilitatem Ecclesiarum, in temporalibus & spiritualibus administrare, *c. Nihil est. de elect.* Et licet excipiatur potestas alienandi, *d. c. Nihil est, in fin.* & per huiusmodi licentiam alienari videatur Religiosus à suo monasterio, tamen illa exceptio & restrictio pertinet tantum ad alienationem rerum, non personarum, quarum alienatio, propter maiorem utilitatem, facilius permittitur, ut decidit Archidiaconus, *in d. cap. Si religiosus n. 2.*

De Electionibus.

S V M M A R I V M.

Electio ad Prælaturam regularem.

1. Electio ad Prælaturam regularem requirit eligentium professionem.
2. Professio ante finitum annum probationis in Ordine Carthusiensis nulla est, nisi accedat gestatio habitus post annum.

CONSILIVM XXIII.

IN electione, quæ fit de prælatura regulari necesse est eligentes ritè & legitime esse professos, vel expressè vel tacitè professione; cum non professi, aut, quod pro eodem est, malè professi ad eligendum idoneam qualitatem non habeant, *c. Ex eo §. in Ecclesijs, c. Indemnitatibus De elect. lib. 6. Gloss. in cap. Nullus in v. eligatur eod. tit. lib. 6.* † Cum itaque ad consultationem pro parte Carthusianorum responderimus, ex decreto Concilij Tridentini Sess. 25. De regul. & monach. lib. 6. c. 15. & particularibus statutis ordinis Carthusiensis, Religiosi cujuscumque ordinis professionem, ante plene finitum annum probationis factam, nullius esse momenti, nullisque operari juris effectus, etiam accedente gestatione habitus post annum probationis, *Navar. consil. 33. sub. tit. De regul. evidenter consequitur, sic nulliter professos Religiosos, nullà ratione debere necessariò ad electionem Prælati vocari; sic quod ipsi præteritis, seu non adhibitis, facta electio annullari nequeat, cum sic constitutis Religiosis jus non sit conquerendi de aliquo contemptu, aut factam per alios electionem impugnandi: de contemptu enim conqueri nequit, qui iure permittente contemni potest, *d. c. Ex eo post princ.* Proinde sine metu nullitatis progressus fieri poterit ad electionem novi Prioris, non adhibitis aut vocatis his, qui ante tempus probationis professi vel ab ordine recedere capiunt, vel de suo statu dubitantes, sibi ipsis controversiam faciunt.*

De Renuntiatione.

S V M M A R I V M.

Renuntiatio Episcopatus.

1. Procurator ad renuntiandum constitutus revocari potest re integra.
2. Cedendi licentiam qui à Papa obtinuit, invicem cogi potest.
3. Coadunatoris constituendi causa qua.

CONSILIVM XXIV.

DVPLEX causa est, ob quam Reverendissimus ac Illustrissimus D. Robertus à Bergis renuntiationem & cessionem Episcopatus Leodiensis diutius differre non possit. Altera, quod eò res sic deducta, quod cedendi ac renuntiandi facultas per S. D. N. Papam sit obtenta sub conditione iustæ pensionis, seu, ut ait Innocentius, *m. c. Nisi cum pridem n. q. vers. nos dicimus. De renunt.* boni concambij: propter præcedentem tractatum Episcopi cum Capitulo, & cessionis conditiones conceptas, & per Sedem Apostolicam approbatas.

Ergo